

sumptibus excitata, in locum veteris succellit. Premittit hoc Wiltingense Cœnobium Veldidenæ ruinas. Citius pervetusta celebritas, ac situs ex quatuor Antonini itineribus, quorum unum jam alibi dedimus, affatim elucet; indeque peculiaris ejus dignitas arguitur, quod terna itinera Veldidenæ terminet; id enim non nisi in famosioribus Civitatibus usurpare consuevit. Deprædicant ejusdem excellentiam circumjacentes agri, in quibus sæpe etiam nunc antiqua numismata Romana, aliaque varia veteris Veldidenæ indicia fortuito reperiuntur. Inter hæc maxime eruditioni servit columna milliaria ex candido marmore cum hac inscriptione. *IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS SEVERUS PIUS PERTINAX AUG. ARABICUS ADIABENICUS PARTHICUS MAX.*

PONT. MAX. TRIB. POT. VIII. IMP. CÆS. M. AURELIUS ANTONIUS PIUS. AUG. TRIB. POT. III. PRO. COS. ET IMP. P. SEP. TIMIUS GETA ANTONINUS VIAS, ET PONTES REST. AB. AUG. MIL. PAS. CX. Stabat itaque olim circa viam publicam hæc columna ante Cœnobii portam, signabatque viam militarem, quæ ex Italia per alpes Augustam Vindelicorum ducebat, ab Imp. L. Septimio Severo, ejusque filii M. Aurelio Antonino Caracalla, & P. Septimio Geta per millia passuum centum & decem Augusta scilicet Veldidenam usque restauratam: verum anno 1587. Ferdinandi filius una cum tribus aliis ejusdem generis columnis milliariis in illa ad Oenum planitie hinc inde repertis in Ambrasianam Arcem transferri curavit.

SVEVIÆ PARS.

Svevia nobilissima Regio, cui a Septentrione adjacet Franconia, ab Ortu Bavaria, a Meridie Helvetiæ, Rhætiæque pars, & ab Occasu Alsatia, olim Regnum, dein Ducatus audiebat, hodie vero in diversâ prorsus dominia discriminatur. Ager illi fertilis, cujus nulla portio inculta jacet, præterquam ubi lacus, aut sylvæ terram

occupant; in quibus tamen frequens piscatio, nec minor venatio aliarum rerum defectum ubertim suppleat. Cæterum alibi frumentorum abundantia, quorum magna vis: Tota Provincia salubri aëre gaudet, celebratissimis Urbibus, Vicis, & Castellis feresta. Arces excellentiæ natura, & arte munitæ. Circa montes, ferrum, argentum, alia-